DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS
DE
SCARLATINA;

QUAM

ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

JOANNES MITCHELL,

SCOTUS.

"*Principiis obsta: serò medicina paratur,*
"*Cum mala per longas convaluêre moras.*"
OVID.

Prid. Id. Septembris, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:
EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1805.

THOMÆ CAROLO HOPE, M. D.

CHEMIÆ

PROFESSORI DIGNISSIMO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS,

SUMMA CUM OBSERVANTIA,

SACRAS

VULT

JOANNES MITCHELL.

— Ogilvie Esq.

With best wishe

from the Aut

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

SCARLATINA.

MORBUS, quem tractare statuimus, ex medicorum scriptis, in Hispania, circiter annum millesimum sexcentesimum decimum, apparuisse dicitur. Probabile est, scriptores antiquiores eum nunquam vidisse; saltem ab iis præteritur. Exinde, plerisque ab auctoribus, præsertim Hispanicis atque Italicis, mentio ejus facta est. Historia nulla perfecta tamen tradita est, donec clarus Fo-

A THERGILLIUS,

THERGILLIUS *, et posteà HUXHAMUS †, phænomena ejus accuratè observârunt, et descripserunt.

Hic, sicut alii morbi epidemici, diversis in regionibus, atque etiam in eadem regione, formas inter se dissimillimas sæpè induit. Interdum enim adeò mitis est, ut, nullis medicamentis egeat: contrà, nonnunquam adeò gravis accidit, ut pestis diræ, aut veneni promptissimi instar, citissimam necem intulisse, narretur ‡.

At, etiamsi, hæc affectio, sub formis, ita variis, occurrat, omnes hæ tamen, sub genere Scarlatina, aptè comprehendi possunt.

CULLENUS

---

* FOTHERGILL "on the Putrid Sore-Throat."

† HUXHAM "on the Malignant Ulcerous Sore-Throat."

‡ ZACUTUS LUSITANUS.

Cullenus Scarlatinam inter *Exanthemata* disposuit; et sub hoc genere duæ species recensentur:

I. *Scarlatina simplex*, nullâ comitante cynanche.

II. *Scarlatina cynanchica*, cum cynanche ulcerosa; vel Scarlatina anginosa Sauvagesii.

Sed præstereà, illis annumeretur species tertia;

III. *Scarlatina maligna*, cum cynanche maligna.

Cullenus quidem, hanc ultimam speciem esse morbi genus diversum putavit; eam ideòque, ad *Phlegmasiarum* ordinem retulit. Quamvis autem, inter medicos multùm disputatum est, utrùm Cynanche maligna ejusdem naturæ sit, ac Scarlatina anginosa; nunc

nunc tamen GREGORIUS, et multi alii, qui in arte medica summam celebritaten adepti sunt, has formas, quamvis inter se valdè dissimiles, esse solummodò varietates ejusdem morbi, omnesque ab origine una editas, opinantur.

Quidam, scilicet, Cynanchen malignam, nonnullos sæpiùs quàm semel, in decursu vitæ, contrà, morbum nominatum a SAUVAGESIO Scarlatinam anginosam, nunquam nisi semel aliquem aggredi, affirmant. At etiamsi Scarlatinæ anginosæ impetus secundus perrarò accidit, tamen, ex auctoritate cel. GREGORII, atque aliorum, talia exempla nonnunquam observantur; itaque hoc argumentum minimè valet *.

Apud alios argumentum est, ut Scarlatina anginosa diathesin phlogisticam, e contrario, ut

* Aud. GREGOR. Prelect. de Medicin. Pract. in Acad. Edin.

ut Cynanche maligna diathesin putridam, exhibeat. Sed quanquam, hæc differentia signorum in variolis appareat, tamen, variolam discretam, et confluentem, ab eadem contagione originem deducere, inter omnes consentitur. Necnon, magna diversitas symptomatum in morbillis occurrit. Pariter Scarlatina, etiam in una domo, ubi ex eadem contagione, planè oritur, formam nunc mitissimam, nunc virulentam, assumere observatur. Quinetiam, inspectis cadaveribus, eadem phænomena, in iis quos Scarlatina anginosa, ac in iis quos Cynanche maligna, arripuit, plerumque videntur.

His de causis, nobis igitur persuasum est, Cynanchen malignam, et Scarlatinam anginosam, tantùm esse varietates, seu gradationes, ejusdem morbi, sed cum signis plùs minùs violentibus. Quamobrem, in progressu hujus disputationis, generali nomine *Scarlatina*, pro ulla forma morbi, utemur.

DE HISTORIA.

Scarlatina ullo anni tempore sævit, sed sæpissimè in autumno sese ostendit, et per hiemem perstat. Valdè contagiosa est, præcipuè inter impuberes, quibus stragem crebriùs dat. Magna ex parte fœminas sæpiùs quàm mares, juvenes quàm senes, debiles quàm robustos, at quandoque ferè omnes sine discrimine adoritur.

Sydenhamus Scarlatinam, sub forma mitissima, ita descripsit:

" Scarlatina febris, licèt nullo non tempore possit incidere, ut plurimùm tamen exeunte æstivo se prodit, quo quidem integras familias, infantes verò præ cæteris, infestat. Rigent horrentque sub initio, ut in aliis febribus, qui hâc adficiuntur, neque vehementer admodum

admodum ægrotant: Posteà, cutis universa maculis parvis rubris interstinguitur, crebrioribus certè et multò latioribus, magisque rubentibus, at non perindè uniformibus, ac sunt illæ quæ morbillos constituunt. Ad duos tresve dies persistunt hæ maculæ, quibus demùm evanescentibus, decedenteque subjectâ cuticulâ, restant furfuraceæ quædam squamulæ, adinstar farinæ, corpori inspersæ, quæ ad secundam, aut tertiam vicem se promunt, conduntque vicissim*."

Hîc fauces non fuisse affectæ videntur, aliter talis affectûs mentio certè facta fuisset.

Cullenus, scarlatinam sexies vel septies in Scotia epidemicè grassantem, sed nunquam sub formâ tam miti, videbat; tamen ut aliis occurreret, nihil dubitat.

Vulgò, autem, cum signis multò gravioribus nunc observatur. Ingruente morbo solita

* Sydenham. Oper. sect. 6. cap. 2.

ta pyrexiæ symptomata, sicut languor, lassitudo, vertigo, horror calore alternans, ac solicitudo, primùm sentiuntur. Ad hæc quoque accedunt dolor capitis, nausea, vomitus, et sæpenumerò diarrhœa. Oculi quasi lachrymantes videntur: Vultus tumescit, et rubescit: veruntamen speciem longè aliam nonnunquam exhibet.

Æger, haud ita multò pòst, deglutitionem difficilem, et molestiæ et angustiæ in faucibus sensum, conqueritur. Modò, circa morbi impetum, modò non ante plures dies pòst, tumor et rubor, in faucibus, et præsertim in tonsillis, uvulâ, velo pendulo palati, et partibus vicinis, apparent.

Hi faucium affectus, diversis in exemplis, dissimiliter occurrunt; interdum enim adeò leves sunt, ut notatu vix digni videantur; dum aliàs adeò augentur, ut respirationis et deglutitionis officiis moram afferant. Nunc brevi, in partibus sic tumore et rubore affectis, atque

que præcipuè in iis supradictis, maculæ albidæ, vel cinereæ, serpentes, et ulcuscula tegentes, observantur.

Die plerumquè secundo, tertio, vel quarto, aliquandò ab ineunte morbo, facies, collum, pectus, et extremitates maximè, sed frequentissimè totius corporis superficies quoque, efflorescentiâ coloris rubri, vel coccinei, obducuntur. Cutis sæpissimè lævis est; nonnunquam tamen, erumpunt papulæ plures exiguæ, quæ in pectore et brachiis præsertim eminent. Eodem tempore, manus, et digiti præcipuè, tument, atque rubent. Pressura ruborem cutis dispellit, tamen citò recurrit.

Rebus ita se habentibus, omnia febris signa sub vesperem ingravescunt, superveniente sæpè quoque delirio. Quibusdam in exemplis, glandulæ submaxillares, atque aliæ, valdè turgidæ fiunt tactuque dolent. Hæ modò discutiuntur, modò autem gradatim augescentes, in pus abeunt.

Cor et arteriæ, plerumquè per totum morbi decursum, celerrimè micant. Nonnullis in exemplis, pulsus durus et parvus; in aliis, mollis, et plenus, sed magna ex parte debilior, quàm in Phlegmasiis, sentitur. Lingua colorem non semper eundem induere, observatur; nunc enim valdè rubra, nunc fusca, nunc alba, et quasi muco viscido illita est.

Urina variam speciem exhibet, sed sæpissimè primùm cruda, et pallida, et, progrediente morbo, turbida est. Alvi conditio, ab ægri ætate, atque habitu, pendere videtur: infantibus enim plerumque laxa, contrà puberibus sæpiùs tarda est.

Brevi, hæc affectio plerumque faustè terminatur. Cutis eruptio, quæ duos tresve dies perstat, evanescit; et cuticula, sub forma squamarum, furfuri similium, decidit. Faucium tumores subsidunt, ac ulcuscula citò sanescunt. Febris, aliaque signa simul remittuntur, ac æger paulò pòst convalescit.

Scarlatina

Scarlatina autem, cùm cynanchês malignæ formam assumat, maximè timenda est. Illum enim, quem infeliciter invadat, sæpissimè de medio tollit. De periculo instante, violentiâ signorum, quæ hoc malum afferat, præmonemur. Pyrexia, omniaque alia signa plurimùm urgent, atque delirium ferè semper ab initio plùs minùs indicatur. Tumor, glandulas submaxillares, imò aliquando etiam totum collum, occupat, ægrumque angit adeò vehementer, ut illum quasi suffocans videatur.

Oris, atque faucium partes internæ, undique ulcusculis, quæ sæpè speciem fuscam, lividam, vel etiam nigram, induant, gravissimè afficiuntur. E faucibus, et naribus effunditur mucus, fœtidus, adeòque acer, ut partes quas tangat, erodat. Hic humor, in ventriculum, et intestina, descendit, ibique diarrhœam, atque alia signa molesta, excitat. Sanies ex ano quoque, hunc partesque proximas rodens, emittitur. Aspera arteria, pulmonesque, affectum

faucium

faucium aliquantum participare videntur, animæque fætor intolerabilis fit.

Hæmorrhagiæ, e naribus, utero, aliisque partibus, nonnunquam occurrunt. Maculæ per totum corpus subitò evanescunt, vel nigrescunt. Arteriarum pulsus valdè celeres, parvi, et debiles fiunt. Respiratio difficilior evadit. Pro delirio aggreditur sopor. Oculorum languor insolitus observatur. Fæces, et urina, inscio ægro, excernuntur. Singultus, et subsultus tendinum, convulsionem universalem præmonstrant: denique, sic æger extremum halitum efflat.

Calor corporis in scarlatina plerumque plurimùm augetur, adeò ut vix in ullo alio morbo esse tantus observetur.

Paucos intra dies post hunc morbum, anasarca sæpè se ostendit; nonnunquam accidit ascites, hydrothorax, vel etiam hydrocephalus. Fortassè hæc affectio hydropica ab exhalantium,

halantium, vel absorbentium vasorum, statu laxo, et debili, febris sequela, vel a quodam desquamationis cuticulæ defectu, aliquantum pendet: At hujus causa tamen, haud satis intelligi videtur.

DE CAUSIS PRÆDISPONENTIBUS.

Omnes potestates debilitantes, ut morbi prægressi, diæta nimis tenuis, et parca, exinanitiones magnæ, vehementiores animi affectus, aër impurus, atque aliæ, huic morbo, sicut aliis, corpus opportunius reddunt.

DE CAUSA EXCITANTE.

Sola causa excitans esse contagio videtur, cujus origo, natura, modusque operandi, prorsùs in tenebris latent.

DE

DE DIAGNOSI.

Morbi, quibuscum sit periculum Scarlatinam confundendi, pauci sunt, eamque ab omnibus aliis distinguere haud difficillimum est.

Cynanche tonsillaris interdum hunc morbum, primo sub accessu, in signis quibusdam haud parùm refert. Hæc tamen homines adultos, et robustos; e contrario, scarlatina infantes, et debiles, plerumque adoritur: ac ii qui cynanche tonsillari semel laboravêre, fortassè hâc de causâ tentationi futuræ procliviores fiunt; quod in scarlatina omninò diversum est. In illa, faucium tumor, et dolor, majores sunt; in hâc autem, membrana faucium mucosa præcipuè afficitur. Pyrexia, scilicet ambos morbos comitatur, in cynanche tonsillari, tamen, arteriarum ictus validi, et duri; contrà,

in

in scarlatina plerumque debiles, et frequentes, sunt. Cùm demùm, post signa consueta, efflorescentia cutis appareat, tunc scarlatina manifestè sese ostendit.

Scarlatina quoque a *Cynanche tracheali* per quædam signa huic morbo propria, et præcipuè per vocis sonum peculiarem stridulum, facilè discerni potest.

Rubeolam a scarlatina dignoscere possumus sternutatione, epiphorâ, et tussi siccâ, raucâ; hæc enim signa rubeolam insigniunt, sed nequaquam adsunt in scarlatina.

Aphthæ infantum a scarlatina ita internosci queunt; linguâ tumidiusculâ, escharis plerumque ad ejus margines primùm comparentibus, os internum totum demùm occupantibus, febre ferè nullâ vel saltem leni.

DE

DE PROGNOSI.

De hujus morbi eventu, per naturam epidemici regnantis, per ætatem ægri, et præcipuè per symptomata, certiùs præsagire possumus.

Quò manifestiùs induatur forma cynanchês maligna, eò periculum esse majùs prævidemus. Si pyrexiæ et debilitatis signa gravissimè urgent; si delirium insolitum vel stupor se ostendit; si faucium ulcuscula ad gangrænam vergunt; si tumores externi respirationi obstant; si fæces et urina inscio ægro elabuntur; si denique hæmorrhagiæ, vel singultus, et subsultus tendinum, superveniunt, mors jam extimescenda est.

Si, contrà, autem, febris lenis, vel saltem haud

haud vehemens est, et post aliquot dies gradatim remittitur, pulsusque arteriarum firmiores et pleniores fiunt; si fauces modicè sed non inusitatè afficiuntur; si sudor generalis lenissimè diffunditur; si cuticulæ desquamatio apparet; si denique somnus, cibique appetentia, redeunt; tum faustum exitum prædicere licet.

DE CURATIONE.

Ratio medendi, in hoc morbo, a formâ quam induat, multùm pendet. In *scarlatina simplice*, vel eâ formâ morbi quam Sydenhamus descripsit, remedia ferè nulla necessaria videntur. Cùm autem forma tam mitis raró accidit, hæc, prout res postulat, haud parùm prosunt.

Sanguinis missionem, præcipuè morbi sub initio, multi experti sunt. Hoc tamen experimentum plerumque perniciosum est, quippè post ejus usum signa debilitatis magis aggravescunt; interdum etiam subita mors evenisse dicitur. Veruntamen cùm hoc malum, adolescentem robustum, et sanguine plurimùm abundantem, adoritur; cùm, ejus cerebrum, et respirationem inusitatè afficere, minitetur; sanguis fortassè parcâ manu detrahatur, vel hirudines ad partes maximè affectas tutiùs applicare possumus. Sed talia exempla rarissimè occurrunt; quarè hoc remedium cautissimè adhibendum est.

Alvi purgatio quoque minimè commendatur, propterea quòd debilitatem auget, quæ sedulò evitanda est: Contrà, autem, si alvus adstricta est, enematibus, fructibus maturis, vel aliis modicè laxantibus, uti debemus.

Vomitoria, et ea quæ nauseam cieant, sub morbi initio maximè necessaria sunt. Tunc enim

enim ventriculum exonerando, alvum movendo, lenemque sudorem universalem eluendo, prodesse videntur. Quidam usum eorum per totum morbi decursum suadent *. Postquam tamen morbus aliquandiu progressus sit, talia remedia prorsùs inutilia, imò interdum etiam perniciosa esse, nunc experientiâ docemur.

De *vesicatoriis* medici inter se multùm discrepant. Nonnunquam autem, et præcipuè, ubi colli tumores externi admodum augentur, fortassè commodè usurpantur.

Gargarismata, partes oris et faucium eluendo, haud parùm utilia sunt; et priusquam aliquid deglutiat æger, gargarizare debet. Si ille, autem, gargarisma nequeat adhibere, ut in exemplis infantum sæpissimè accidit, per fistulam injiciatur, vel spongia eo madefacta partibus leniter admoveatur. Hoc tamen maximâ curâ faciendum est; maculas enim quovis

* Vid. WITHERING "*on the Scarlet Fever.*"

quovis instrumento abradere valdè nocet. Quidam scarificationem ulcusculorum experti sunt, sed adeò infeliciter, ut nemo tale experimentum nunc proponat.

Tonica et *stimulantia* præcipuè in usu sunt, ubi proclivitas ad putredinem, pulsus debiles, et vires multùm imminutæ, occurrunt.

Cùm res ità se habeant, *cinchona*, tam magnâ quantitate quàm ventriculus concoquere possit, usurpanda est. Sub pulveris formâ optimè datur: si hanc autem fastidiat æger, sub aliis formis ministretur, et si has quoque respuat ventriculus, sub forma enematum adhiberi queat.

Vinum, quod stimulum longè optimum præbet, vel per se, vel mistum cum aqua, liberè potandum est. Si hoc autem paratu difficile sit, alios potus, e fructibus maturis, ut pomis, et similibus, confectos, vel liquores fermentatos, ut cerevisias, suppeditare opus erit.

Spumam

Spumam cerevisiæ, quoque putredini obstando, multùm prodesse, nonnulli autumant.

Acida varia diu in usu fuerunt; nuperrimè autem *acidum muriaticum oxigenatum*, satis dilutum, maximè laudatum est. Hoc enim gargarismum bonum etiam infantibus præbet, atque ad sitim, et putredinem mitigandam, admodum accommodatum videtur.

Remedium autem longè præstantissimum, est *immersio in aqua frigidâ*, seu ejus affusio subita in corporis superficiem ægroti. Curreius, et Gregorius hoc summis laudibus efferunt, ejusque effectus secundi, aliorum experientiâ nunc comprobati sunt.

Simul ac morbus planè se ostenderit, atque æger incaluerit, fiat applicatio, et quoties vehementia symptomatum postulet, toties ea iteretur. Hujus repetitio in decursu viginti quatuor horarum sæpè necessaria fit. At talis repetitio, tamen, in primo morbi stadio,

quàm

quàm in provectiore, tutior et utilior est. Quolibet diei tempore, affusio frigida adhiberi queat: "When there is no sense of chilliness present," ait Curreius, "when the heat of the surface is steadily above what is natural, and when there is no general or profuse perspiration *."

Quanquam scarlatinæ plerisque in exemplis hoc remedium invenietur utilissimum, nonnunquam tamen, ubi æger valdè debilis est, et ubi corporis calor præter naturam minimè augetur, ibi manifestè periculosum fit. Cùm res ita se habeant, aliis remediis tonicis et stimulantibus, confidere nos oportet.

Quum, autem, propter symptomatûm catarrhalium severitatem hæc affusio non idonea videtur, tum affusione tepidâ commodè possumus uti.

Haud

* Vid. Currie's "*Medical Reports.*"

Haud ita pridem in India occidentali, ubi hic morbus sub forma violentissima adeò sævie-bat, ut remedia omnia in usu communi frustrà tentata sint, *capsicum annuum* effectus salutares ostendisse dicitur. Illud, tamen, atque alia, quæ in hac insula non usurpantur, memorare vix necesse videtur.

Mundities magnoperè colenda, atque *aër purus* liberè admittendus est; vestimenta sæpè mutanda, et excrementa quàm primùm removenda sunt.

Anasarca, quæ post scarlatinam sæpè accidit, nonnunquam mortifera fit; plerumque tamen vel sponte decedit, vel per lenia remedia, ut diaphoretica, diuretica, ac cathartica, removetur. Si exhalatio per cutem reprimi videtur, balneum calidum, frictio superficiei corporis, atque alia quæ eam promoveant, cum commodo adhiberi possunt.

FINIS.